

F. Rhabarb. electi 3 iij.
masticis, spicæ an. gr. iiiij.
turpethi electi 3. fl.

sacchari ad pondus omnium. fiat puluis.

Dosis est 3 j. fl.

*De antidotis mollibus & electuariis siue
opiatis vulgo dictis.*

C A P. XXIX.

Antidotis siccis & solidiore forma confectis succedunt liquida, quæ vulgo Electuaria dicuntur, & à multis opiatæ molles nominantur. Veteribus tamen opiate medicamenta dicebantur, quod opium recipiebant; cuiusmodi est theriaca, mithridatum, philonium Romanum & alia id genus medicamenta, quæ propter fluxionis vehementiam & acrimoniam, doloris quietiam magnitudinem, opium recipiunt. Recentiores opiatæ nomine usurpant pro quavis confectione molli, mellis consistentiam habente. Verum rectius, si electuarium molle dixeris, vel iubeas fieri mixtram ad opiatæ consistentiam. Proinde plures differentiae existunt: Aliæ enim sunt purgantes, aliæ alterantes, aliæ roborantes, aliæ deniq; anodynæ & narcoticæ, quib. proprio nomine opiatæ competit. Antidota purgantia parantur ex pulueribus simpliciū purgantium, vel ex visitatis electuariis siccis purgantibus, vel omnibus simul saccharo dissoluto, melle vel syrupo aliquo conditis, ea proportione, ut ad 3 j. puluerum 3 j. aut 3 j. fl. liquorum affundatur.

Notan-